

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1060

**Auteur(s) :** Guillaume de Préaux, chevalier, Ver (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1200...

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume de Préaux, chevalier, seigneur de Ver, reconnaît et cède au chapitre de Bayeux et à ses hommes de Ver, ses coutumes, services feudaux, moulins, etc., à Ver.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXIX, t. 1, p. 316-317.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, Willelmus de Pratellis, miles, dominus de Ver, salutem. Sciatis me, consilio et suggestione legitimorum virorum meorum de Ver, et juxta eorum recordationem, recognovisse et concessisse canonicis Baiocensibus, et omnibus hominibus eorum de Ver, habere in villa de Ver omnes suas consuetudines, quas se ab antiquo de jure habuisse proponebant, scilicet : quod dominus de Ver non debet habere in eadem villa nisi tantummodo duos campartatores, in mense augusti, et quod illi duo non debent ire ad campartandum blada, nisi prius dixerint alicui de decimatoribus canonicorum, et si tipa garba alicubi evenerit, debet participari, et computari. Item, si aliquem hominum canonicorum, inter extraneum molendinum et feodum eorum, serviens magister vel munnarius domini farinam portantem invenerit, farina erit munnarii, et equus erit domini, pro redemptione trium solidorum Turonensium reddendus ; et si ipse munnarius aliquem hominum canonicorum, pro aliqua causa ad moltam pertinente, in placitum trahere voluerit, ipse munnarius debet super hoc requirere præpositum domini, et præpositus domini adire præpositum canonicorum, et dicere ei quod adducat illum in æqualem curiam, scilicet, in cimiterium de Ver, et ibi erit dominus, vel aliquis serviens (sic) ejus, et ex alia parte communarius, vel aliquis canonicus ; et si tractus in causam fuerit convictus, ipse ibi bladum apportabit quantum voluerit, et jurabit quod plus bladi non moluit in extraneo molendino, et tunc dominus habebit moltam, et canonici minam. Item, si homines canonicorum cum blado suo molendo pro aliquo defectu per duos dies expectare contigerit, et in molendino domini molere nequiverint, postea eis licebit, ubicunque voluerint, bladum suum molere, et reddent domino siccam moltam, scilicet unum buissum de tribus minis. Item, homines canonicorum debent habere communiam per totam villam, sicut homines ipsius domini, et pro hac libertate habet dominus moltam eorum, et bis in anno precarias carrucarum suarum. Item, dominus non potest facere aliquam justiciam super terram canonicorum, nec etiam super avera hominum eorum ubicunque sint inventa, cum ipsa nocte præcedenti super terram eorum jacuerint, nisi in proprio damno domini fuerint intercepta. Item, quod dominus non potest cogere hæredem Willelmi Palmarii ire ad suum ductum curandum, quia de jure facere non debet. Volens igitur dictos

canonicos et eorum homines præscriptas consuetudines suas liberas, in futuro, et pacificas obtinere, eas præsentī  
carta, sigillo meo munita, duxi in perpetuum confirmare.